



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,  
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi  
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina  
Septentrionis Regna**

**Adamus <Bremensis>**

**Helmetadi[i], 1670**

V. Ebonis Archiepisc. Remensis, cujus Adamus, ut turbatoris pacis  
publicae, pag. 21. meminit, Apologia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11096**

EBONIS

ARCHIEPISCOPI REMENSIS A LV-  
DOVICO PIO IMP. IN EXILIVM PVL-  
SI, A LOTHARIO VERO IMP.  
RESTITVTI

APOLOGIA.

CVM

EIVSDEM EBONIS AD GENTES SEPTEN-  
TRIONALES LEGATIONE

EX

CODICE MSTO BIBLIOTHECÆ  
JULIÆ

*Nunc primum edita.*

EBONIS  
 ARCHIEPISCOPI REMENSIS, A LVDOVICO  
 PIO IN EXILIVM PVLSI; POST VERO PER LO-  
 THARIVM CÆSAREM RESTITVTI  
 APOLOGIA.

Pertinet  
 hæc Apo-  
 logia ad ea  
 quæ Ada-  
 mus de E-  
 bone scri-  
 bit pag. 21.  
 Cap. XXI.  
 lib. I.



**I**N NOMINE DOMINI NOSTRI IESV  
 CHRISTI, DEI SVMMI, GLORIOSO  
 IMPERANTE HLODOVICO CÆSARE.  
 Cujus prima regni tempora quamquam valde cor-  
 ruscarent prospera, ultima tamen ejus concussa nimia ad-  
 versitate, divinam quasi indignationem illam passa, quam  
 de novissimis temporibus vis semper terret Evangelica di-  
 ceus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pa-  
 ter filium, & insurgent filii in parentes. Multi deniq;  
 hinc potentes expulsi sunt à patria: Episcopi quoq; alivæ Dei  
 ministri custodias & exilia passi; quidam etiam utriusque se-  
 xus nobiles laici ad monasticum habitum compulsi, ut saltim  
 his flagellis cæteri castigatione compuncti, remedia salutis  
 perciperent: aut obdurati, judicia damnationis futura senti-  
 rent. Quia quos blanda vitiaverat prosperitas, necesse erat  
 ut dira purgaret adversitas, ne ad tartaream vindictam di-  
 vina ultro sæviret majestas. His etenim manifestis cogni-  
 tis periculis, Ego Remensis EBO indignus Episcopus, inter  
 cæteros anxios tribus afflictus pressuris, idem sublatis rebus  
 omnibus in ira & custodia oppressus principis, insuper & fes-  
 sus ægritudine corporis, sancto cum psalmista dicere non eru-  
 bui:

hui; Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Divinis flagellis monitus, si in prosperis legem Domini neglexi, ad ipsam in adversis confugere debui: ita ut si quem per potentiam quondam injuste lesi, hinc in angustiis me ladentem ferre patienter devoovi. Si cui etiam aliquid indebite abstuli, ablati mihi omnibus non contradixi, sed auferenti tunicam etiam & pallium reliqui. Si enim quandoque amicum neglexi, inimicum diligere hinc, & pro persecutoribus orare didici, sicq; humili satisfactione memetipsum accusans, furores persequentium mitigare plus, quam litigare decrevi, sancto instruente Habraham, qui inter pericula ablatione uxoris se exuens vim facientibus humiliter cedere magis, quam damnabiliter resistere elegit. Sanctus utique Apostolus nec minus eadem docuit, cum dixit: Non vos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Inter divina siquidem verbera B. Job non murmurare, sed orare, atque confiteri peccata maluit, cum anxius inter cætera multa lamenta dixit: Peccavi; quid faciam tibi, O custos hominum? Quibus nam multimodis patrum animatus & ductus exemplis, eodem mundano impetu compulsus ad tribunal palatinum, non ad synodalem sanctorum conventum, quo violenter non licet trahi, sed magis liberam canonice convocari Episcopum. Contigit tamen me in media multitudine sanctorum adstisse fratrum, hiemali vexatione diutina ibi afflictorum: quorum pia consolatione recreatus, illa mihi divinitus inspirata sententia caritatis præsto apparuit condolentium, sicut scriptum est: Cum patitur unum membrum, com-

Hb

pati-

patiuntur cetera membra. Quorumq; consilio adjutus, tres  
 mihi, ut ex ipsis elegi secretissimos adjutores, Ajulphum vi-  
 delicet Archiepiscopum, Badaraldum, Modoinumque E-  
 piscopus; cum quibus de Salvatoris nostri institutione, pecca-  
 torumq; remissione diligenter contuli, memor evangelici præ-  
 cepti dicentis: Si offers munus tuum ad altare; & cete-  
 ra; usque relinque ibi munus tuum ante altare. Hac  
 igitur auctoritate cernens, quia frater quanto magis princeps  
 meus commotus adversum me erat, reliqui munus oblationis  
 meæ ante altare, & summa satisfactione jam dictorum con-  
 sensu confessorum & fratrum succumbens, propter debitam  
 recuperandi concordiam, inlatas omnes injurias patienter  
 suscepi, & puritate confessionis remissionem peccatorum, ve-  
 niamque & non condemnationem percipere credidi. Quia  
 superbiam in me judicavi, & necem diabolicam vanam glori-  
 am, ruinam perpetuam mundi hujus, quod est, amatorum mun-  
 di noxiam amicitiam, quæ divino testimonio ad Dei perti-  
 nent inimicitiam, in me damnavi ut pœnam tartaream, sa-  
 cra dicente scriptura: Qui amicus fuerit hujus seculi, ini-  
 micus Dei deputabitur. Fratris convicium, ut factæ di-  
 ctum, lege evangelica deputari, ut gehennale supplicium:  
 mendacium quoque vel odium, non minus quam homicidium  
 execravimus reatum: testante Apostolo: Qui odit fratrem  
 suum, homicida est. Eodem modo mendacium respui, ut  
 scelus pessimum: de quo terribiliter divinitus habetur præfi-  
 xum: Perdes omnes qui loquuntur mendacium: quo  
 scelere offenditur Dominus, decipitur proximus, perit &  
 ipse

ipse propria nece dolosus. Quibus quidem, aliisque similibus  
 formidolosissimis pestibus territus atque compunctus, non fi-  
 eto, sed devote corripiente Domino ingemui; qui quos amat  
 arguit, flagellat omnem filium quem recipit; sancto clamante  
 Apostolo. Cum judicamur autem, à Domino corripi-  
 mur, ut non cum hoc mundo damnemur. Ne igitur  
 sevientes in me amplius peccarent, Salvatoris nostri eva-  
 dendi usus sum argumentum; qui inter manus persequentium  
 abscondit se, & exiit de templo. Namque ego periculis  
 imminentibus distuli exire de templo, & secedere à pon-  
 tificali officio: qui violenter à triennio jam expulsus e-  
 ram à debito sacrificandi loco. Nam & Apostoli tem-  
 pore passionis territi, non ritum sacrificandi, sed provida  
 circumspeditione abdita tantum loca orationis querebant lati-  
 tandi: quia metus fraternus cum discordia, divinarite non ce-  
 lebrat carismata. Etiam & tempus lugendi non exposcit  
 solemnitas, sed potius evadendi remedia, dicendo: Confite-  
 bor adversum me injustitias meas Domino, & tu re-  
 misisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te  
 omnis sanctus in tempore oportuno. In hoc ergo tem-  
 pore oportuno si sancti pro remissione peccatorum laborant,  
 peccatores utiq; ad confessionis remedia currere non diffe-  
 rant necesse est. Unde & nequaquam noxia sed potius salu-  
 berrima habenda est illa confessionis meae publica inscriptio,  
 per quam certa perhibetur posse fieri peccatorum remissio.  
 Dum lex pœnitentium, quae à mœrore incipit, ad gaudia me-

rito confurgit, divina dicente sententia: qui seminant in  
 lacrymis, in gaudio metent. Neque enim Dominus de-  
 spicere aut damnare, sed potius sanare atq; erigere contritos  
 corde legitur. Subscriptionem ergo mihi in angustiis nequa-  
 quam damnationis, sed potius ereptionis titulo edidi, quam  
 non convictus, sed valde districtus protuli. Melius hic in-  
 ferendam ad notationem publicam providi in testimonio veri-  
 tatis, nec vita aut minuata maculetur alicujus aemuli quan-  
 doque mendacis: ut & quod tunc secreto gestum est ereptio-  
 nis argumento, hinc jam publico ubiq; discutatur ab omnibus  
 vera caritatis judicio. Dum nullum ibi certum damnationis  
 praefigitur crimen; nullatenus ullum possit ultra pati confessi-  
 onis discrimen. Non noxia ergo, sed valde proficua habenda  
 est talis subscriptio, quae furores persequentium mitigavit,  
 hiemales anxias vexationes fratrum porrecta levigavit, me  
 etiam ab ira sevientium eripuit. Insuper & secundum san-  
 ctarum scripturarum auctoritatem mihi confitenti remissio-  
 nem porrigit peccatorum, si persevera vero divinitus casti-  
 gatus in emendatione morum. Scripsi utique, in quo apud  
 Dominum non corruui, sed potius humili satisfactione conval-  
 lui, & haec ita vim facientibus edita obtuli: quia certus sum,  
 & scio, cui credidi, dicens: EGO EBO indignus Episco-  
 pus recognoscens fragilitatem meam, & pondera  
 peccatorum meorum, testes confessores meos Aul-  
 fum videlicet Archiepiscopum, Badarandum quoque,  
 nec non & Modoinum Episcopos constitui mihi iudices  
 delictorum meorum, puramque ipsis dedi confessio-  
 nem,

nem,

nem, quærens, remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, ut recederem ab officio & ministerio pontificali, quò me recognosco esse indignum; alienumque me reddens pro reatibus meis, in quibus me peccasse secretae ipsis confessus sum: eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alii succedendi & consecrandi, subrogandique in loco meo, qui digne præesse & prodesse possit ecclesiæ, cui hætenus indignus præfui; & ut inde nullam repetitionem, aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria subscribens firmavi. Si quis vero per hanc salutarem in presuris repertam conscriptionis formam me damnandum decreverit similiter, & in omnibus scriptis meis me opprimere poterit, in quibus nunquam me justifico, sed semper indignum Episcopum scribens ubiq; denuntio. Nec tamen me in hoc eadem subscriptione ullus violatorem aut mendacem deprehendere poterit, quia nemo ibi postea utilior præfuit; sed septenni ferme sub pœnitentiæ spatio, quo sancta in Ecclesia peccatorum pœnitentibus fieri solet remissio, patienter exspectans, & nemini consecrationis ibi dignitatem impedivi. Nolite ergo, dicente Domino Deo nostro, condemnare, & non condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini. Conscripção itaque hæc dispersis necessitatibus, id est, delictorum & persequentium occasione confecta, si adhuc scandalizanti alicui scrupulum generat, universam ibi, quæso, verborum rationem discutiat. In qua certo crimine invento, unde canonica rite sequitur damnatio, iuste,

Hh 3

precor,



precor, & non livide iudicet proximo; dumque se aestimat stare, videat ne cadat. Quia lividus iudex festucam in alterius querens, trabem in suo nequaquam sentit oculo. Luce clarius namque canonica fulget auctoritas, quod sicut sine certo crimine nunquam deicitur Episcopus, ita nec absolute spontanea, quanto minus violenta, alterius sub custodia non licet recedere Episcopum sine eorum praesentia, & consensu civium subditorum. Praevalet ergo in omnibus his ecclesiastica repetitio supra quascunque alias adinventiones violentas aut libitas, suo magis, quam Iesu Christi quarentia. His itaque explicitis, canonicae restitutionis palatinis summis negotiis, comprovincialium receptionis auctoritas solenniter roborata. VIII. Idus Decembris extitit principali in Ecclesia & sancta sede Remensi, obviam ibi occurrentibus cunctis dioceseos praesulibus aut concivibus inclytis, a longe ecclesiastica hac publica necessitate vel utilitate promotis, quibus veniendi impossibilitas sola non restitit, generali conventu congratulationis hanc subscriptionem publicam concordi unanimatem celebratam priscorum patrum exemplis edocti rationabiliter ediderunt. Haec ita scribendo omnes subternotati antistites unanimiter praefigentes sanxerunt: dum non habetur incognitum quod a pluribus videtur esse compertum, qualiter Ecclesia haec maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus ac discordiis principum his temporibus agitata vexatur. Unde & plurimi Episcoporum vi propriis sedibus expulsi, aut timore de relictis gregibus, diversis in partibus exulantur. Inter quos etiam EBO Archiepi-

chiepiscopus Remensis Ecclesie, raptus à propria sede principum indignatione violenter in exilio ductus est. Vnde & reductus sub custodia, ut periculum imminens evaderet, & furores persequentium mitigaret, redimendo tempus, ut meliori se tempore reservaret, cum consensu Episcoporum pontificali secessit à ministerio: dum inter errores & discordias ratio non sinit immolare victimas, dicente Domino: Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum &c. Postquam vero Deus Ecclesie sue tranquilliora tempora reddidit, placuit Principibus & magistris ecclesiasticis ut idem pastor ad debitum ovile reverteretur & oves, quas compulsus reliquerat, tuendas iterum reciperet. Quibus ecclesiasticis debitis negotiis Ego Teudericus Camaracensis Episcopus ad sensum canonicè præbens, sicut prius de illius discessu compatiendo dolui, ita & modo ipsius de reversione congaudens, constitutionibus has seniorum & fratrum roborando subscripsi quia talia sepe contigisse & in aliis gestis ecclesiasticis legi. Hrothadus Suesonicus Episcopus hæc ita similiter roboravi. Hildemannus Baluacensis similiter. Lupus Catillonensis similiter. Ragenari<sup>o</sup> Ambionensis similiter. Erpuvinus Sitvenetensis similiter. Folcoinus Taravicensis similiter. Immo Noviomacensis similiter. Iuste ergo iudicantur omnia irrita, quæ non fuerint auctoritate canonica evidentius undiq; fulta. Fidissimus denique tot talibusque præsidiis ecclesiasticis hæc mihi salutis præsentia & æterna quæstivi remedia; tum nimis tacendo in tempore loquendi, nimisque

misque loquendo in tempore tacendi. Inter cætera memeti-  
 ipsum noxia reprehendi contagia, divinam majestatem im-  
 plorans, ut ponat ultra custodiam ori meo, & ostium circum-  
 stantiæ labijs meis: ne declinet cor meum in verba malitiæ ad  
 excusandas excusationes in peccatis, sed corripiet me justus  
 semper in misericordia. Cum enim nec justum, nisi in mise-  
 ricordia corripere, sinit divina potentia, quomodo peccator  
 peccatorem damnare licite poterit divina sine vindicta. Do-  
 minus utique dominantium meretricem legalibus pœnis di-  
 gnam, non nisi sine peccato quemquam damnare adquevit:  
 quo pietatis exemplo compunctum corde, non mortificare, sed  
 misericordiam magis quam sacrificium velle monstravit. Pu-  
 blicanum quidem se ipsum accusantem non condemnavit, sed  
 magis justificavit: nec oppressit, sed extulit, cum non dixit:  
 qui se humiliat condemnabitur, sed exaltabitur. Semi-virum  
 similiter prostratum non respuit, sed procurandum sanctis  
 stabulariis, ligandi solvendi que potestatem habentibus com-  
 misit, & super divina accepta denariorum reparandi munera  
 compassione propria condolere proximo mercedis lucro com-  
 monuit, dicens: Quodcunque supererogaveris, ego,  
 cum rediero, reddam tibi. Davidica quippe compun-  
 ctio momentanea, non dejectionem, sed recuperationem me-  
 ruit, sancti quoque Apostoli de promissa ac mentita in passio-  
 ne perseverantia, post resurrectionem vero de stultitia & in-  
 credulitate, vel cordis durtia, increpati: Petri etiam nega-  
 tio contritione cordis purgata, nequaquam damnatos, verum  
 etiam correctos, pristinisque dignitatibus restitutos, non so-  
 lum

lum celebrat, sed potius de reparatione lapsorum imitando gloriatur ubiq; gavisâ sancta Dei Ecclesia. Moderna equidem auctoritate palatina compulsi in angustiis ad monasticum pœnitentis habitum utriusq; sexus laici; itemque pace reddita reddisse ad statum seculi pristinum manifestissimum est. Quo in ritu nullum esse dedecus constat, si offensus clericus post humilem satisfactionem suum debitum clericatum recuperat. Igitur tam manifestis novi ac veteris Testamenti divinis nobis ostensis beneficiorum exemplis, ad jam dictam vulgo notam satisfactionem humilem me devotus obtuli: eo quod recuperationem magis, quam damnationem unquam ab initio semper humilis meruit satisfactio. Post quam vero persecutionem succedente offensi Principis glorioso hærede Hlothario Cesare, mox mihi ecclesiastica restituta est concordia, & vacantem ecclesiam, quam quondam violenter amiseram, inveniens, non præsumtive, sed repetentibus sanctis ibi ordinibus debite, septennem fere post satisfactionem, recepi; adsistentibus cum Principe magnificis Præsulibus plurimis, quorum auctoritate omnium revocatus, hanc adnotationem futuris temporibus recitandam, scriptis his memorabilibus in universa catholica Dei Ecclesia manifestum fieri placuit, & sinistras opiniones falsorum fratrum hac certa veritate prolata delere, sanctis verisque fratribus in his omnibus satisfacere decuit, plus de gratia recuperationis congaudere, quam de nequitia damnationis dolere suggerens, sicut oportuit festiva hæc restitutio Deo dignis posteris procuravit.